



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs IX. Vtrum vnio duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

ipso, quod illam terminat, fit illius suppositum, ita ut dicatur habens humanam naturam, & in illa subsistens, ac proinde homo. Verum tamen est, humanam naturam esse terminum formalem secundum quid huius actionis; non tamen ut est assumptio, sed ut est Incarnatio & humanatio, ut diximus in 1. contr. ad hunc a.

Obi. 2.

Secundo S. Tho. ait, naturam humanam significari, ut in termino assumptionis; sed hoc non potest intelligi de termino à quo. Probatum secundam propositio, quia cum ait S. Th. assumptionem determinare terminum à quo & ad quem; quia assumptio est ab alio ad se sumptio per illud ab alio significauit terminum à quo; at assumptio non dicitur ab humanitate ad diuinam personam, sed potius dicitur assumptio ipsius humanitatis; ergo S. D. aperte sentire videtur terminum à quo non esse ipsam humanitatem. Respond. falsam esse secundam propositionem, ut ostendunt expressè verba illa, quæ statim addit D. Tho. videlicet ad hypost. asim diuinam per hoc, quod dicitur homo: Constat autem Verbum quod humanam assumpsit & sibi vniuit naturam, non esse aut dici hominem, nisi in ultimo termino assumptionis. Et quoniam ex ipsa littera D. Thom. & ex communi expositorum intelligentia, & ex ijs quæ supra diximus in 2. dubit. ad hunc a. perspicue constat falsam & contrariam esse Vasq. interpretationem superuacaneum esset hic verba profundere.

Obi. cont. 6. concl.

CONTRA sextam conclusionem sic construi posset argumentum. Terminus assumptionis ad quem est Deum esse hominem, ut ait Caiet. in fine Commentarij presentis articuli; ergo terminus à quo eiusdem assumptionis est Deum non esse hominem: probatur illatio; quia terminus à quo debet esse oppositus illatio; quia terminus à quo ante diximus. Resp. hoc argumento probari, terminum à quo illius actionis, quæ est assumptio secundum rem esse hoc quod dico, Deum non esse hominem; sicut etiam eiusdem actionis secundum rem terminus ad quem est Deum esse hominem; non tamen hi sunt assumptionis termini, quatenus assumptio est formaliter, ut etiam Caietanus aduertit, & ita intelligenda sunt, quæ diximus de termino assumptionis ad quem in 1. contr.

Obi. 1. cont. p. concl.

CONTRA septimam conclus. argumen. Vasq. Primum: assumptio diffinitur à D. Tho. quasi sit ab alio ad se sumptio; at illud ab alio non videtur negationem sed statum posituum oppositum denotare; qui alius non est, quam propria personalitas; ergo. Resp. dictionem seu particulam illam ab alio denotare posituum cum negatione, scilicet naturam ipsam humanam cum negatione personalitatis diuinæ: sic enim habet rationem termini à quo materialis simul & formalis: atque ita dicitur Verbum sumere humanam naturam ab alio ad se, id est ab vno extremo assumptionis & vnionis ad se, tanquam ad aliud extremum eiusdem assumptionis & vnionis; quia scilicet humanitas carens diuina personalitate separata est à diuina persona, & ita est vnum extremum actionis assumptiuæ & vnitiuæ concipiendo simul id, quod est materiale scilicet naturam, & id quod est formale scilicet negationem; si verò seorsum vtrunque concipiatur, tunc magis congrue dicitur humana natura esse in vno extremo scilicet in termino, siue sub termino à quo, quod est negatio diuinæ personalitatis, & ab eo sumi & trahi ad aliud extremum, quod est diuina personalitas. Cum igitur ait S. Thom. Verbum sumere humanitatem ab alio ad se, dicitio illa

ab alio significat alium terminum formalem assumptionis, qui est negatio diuinæ personalitatis.

Secundo: Quia sicut non præcessit humanitas tempore sub propria persona; sic etiam non præcessit tempore sub negatione personæ diuinæ; & sicut humanitati per se considerata conuenit negatio personalitatis diuinæ, sic etiam conuenit propria personalitas; ergo sicut sufficit ut dicamus per particulam ex naturam humanam ex negatione personæ diuinæ assumi ad statum illius, sufficit ut dicamus ex propria personalitate, quam haberet assumi ad diuinam: & sicut absolute non liceret dicere à propria persona assumi ad diuinam; ita etiam neque absolute dicendum est ex negatione personæ diuinæ assumi ad diuinam personam, ne vno & altero modo videamur significare aliquo tempore præcessisse humanitatem non vnitam. Resp. primum nullam esse consequentiam; quia propria personalitas nunquam fuit actu in humana natura; negatio verò diuinæ personalitatis conuenit actu humanitati prius natura, id est instanti naturæ à quo, licet non in quo, antequam diuina personalitate terminetur: humanitas enim quasi materia est, & diuina personalitas quasi forma & generatio humanitatis actio quædam præuia assumptioni, quæ est actio Dei omnino supernaturalis; sicut lignorum & lapidum constitutio & præparatio præuia est ædificationi domus. Vbi verò diuersæ sunt actiones, quarum vna est alteri præuia, necesse est inter eas esse ordinem saltem naturæ, & ad minus secundum instans à quo, & consequenter etiam necesse est eundem ordinem esse inter effectus seu terminos earum actionum; igitur inter generationem humanitatis Christi & actionem assumendi, ac proinde etiam inter humanitatem & assumptionem, ut in termino erit ordo naturæ, saltem secundum instans natura à quo; ita ut humanitas cum priuatione diuinæ personalitatis sit prior natura positiuè, quam eiusdem naturæ terminatio, quæ sit diuina personalitate in termino assumptionis. Et ex his elucet, longè diuersam esse rationem creationis, quæ fit ex nihilo, & assumptionis humanitatis à filio Dei, quæ assumptio fit ex negatione diuinæ personalitatis in humana natura, ut termino à quo; nam creationi nulla præsupponitur actio nec vllus effectus: in assumptione verò humanæ naturæ præsupponitur actio naturæ generatiuæ & eius effectus, qui est humana natura: & idè in creatione terminus à quo non potest esse prior natura positiuè termino ad quem, sed negatiuè tantum: in assumptione verò actio generatiua humanitatis prior est natura positiuè actione assumptiuæ, & humanitas cum negatione personalitatis diuinæ prior est assumptione, ut in termino.

ARTICVLVS IX.

Vtrum vno duarum naturarum in Christo sit maxima vnionum.

Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod vno duarum naturarum in Christo non sit maxima vnionum. Vnum enim deficit in ratione vniatis ab eo, quod est vnum: eo quod vnium dicitur per participationem, vnum autem per essentiam. Sed in rebus creatis aliquid dicitur simpliciter esse vnum: sicut præcipue patet de vniate ipsa, quæ est principium numeri. Ergo huiusmodi vno, de qua loquimur, non importat maximam vnionem.

P. 2.

Præterea, Quamvis ea, quæ ununtur, magis distant, tantò minor est unio. Sed ea, quæ secundum hanc unionem ununtur, maximè distant, scilicet natura divina, & humana: distant enim in infinitum. Ergò huiusmodi est minima unio.

Præterea, Per unionem fit aliquid unum. Sed ex unione anima, & corporis in nobis fit aliquid unum in persona, & natura, ex unione autem diuine, & humane naturæ fit aliquid unum solum in persona. Ergò maior est unio anima ad corpus, quàm diuine naturæ ad humanam. Et sic unio, de qua loquitur, non importat maximam unitatem.

Sed contra est, quòd August. dicit primo de Trinit. quòd homo potius est in filio Dei, quàm Filius in Patre. Filius autem in Patre per unitatem essentia, homo verò est in Filio per unionem Incarnationis. Ergò maior est unio incarnationis, quàm unitas diuine essentia, quæ tamen est maxima unio. Et sic per consequens unio Incarnationis importat maximam unitatem.

Respondendo dicendum, quòd unio importat coniunctionem aliquorum in aliquo uno. Potest ergò unio Incarnationis dupliciter accipi. Uno modo, ex parte eorum, quæ coniunguntur. Alio modo, ex parte eius, in quo coniunguntur. Et ex hac parte huiusmodi unio habet præminentiam inter alias uniones: nã unitas personæ diuine, in qua ununtur duæ naturæ, est maxima. Non autè habet præminentiam ex parte eorum, quæ coniunguntur.

Ad primum ergò dicendum, quòd unitas diuine personæ est maior, quàm unitas numeralis, quæ scilicet est principium numeri. Nã unitas diuina personæ est unitas increata, per se subsistens, nõ recepta in aliquo participationem. Est etiam in se completa, habens in se quicquid pertinet ad rationem unitatis: & ideo nõ competit sibi ratio partis, sicut unitati numerali, quæ est pars numeri, & quæ participatur in rebus numeralibus. Et ideo quantum ad hoc, unio incarnationis præminet unitati numerali, ratione scilicet unitatis diuine personæ, non autem ratione naturæ humane, quæ non est ipsa unitas diuina personæ, sed est ei unita.

Ad secundum dicendum, quòd ratio illa procedit ex parte coniuictorum: non autè ex parte personæ, in qua est facta unio.

Ad tertium dicendum, quòd unitas diuine personæ est maior unitas, quàm unitas, & personæ, & naturæ in nobis. Et ideo unio Incarnationis est maior, quàm unio anima, & corporis in nobis.

Quia verò illud, quòd in contrarium obijctur, falsum supponit, scilicet quòd maior sit unio Incarnationis, quàm unitas personarum diuinarum in essentia: dicendum est ad auctoritatem August. quòd humana natura non est magis in filio Dei, quàm filius Dei in Patre, sed multò minus. Sed ipse homo quantum ad aliquid est in filio magis, quàm filius in Patre: in quantum scilicet idem supponitur in hoc, quòd dico homo, prout sumitur pro Christo, & in hoc, quòd dico, filius Dei: non autem est idem suppositum Patris, & Filij.

Sensus quaestio.

RES sunt in titulo termini declarandi. Primum est unio; quò non significatur relatio, neque modus aliquis humane naturæ; (hunc enim fictitium esse probauimus in secunda Contr.) sed unionis nomen hic sumitur pro coniunctione duarum naturarum in vna subsistentia personali, vt ait S. D. in textu & probat optimè Cai. & post eum Med. & Suar. in Com. quicquid dicit Vasq. nulli innixus solido fundamento.

A Secundus terminus est naturarum; quò limitatur quaestio ad unionem naturarum, & excluditur quaestio de unione naturæ humane & personæ diuine. Tertius terminus est unio, qui de creatis tantum unionibus videtur intelligendus, sicut etiam prima Conclusio, quæ de unione maxima simpliciter loquitur: sic autem est vera comparatione unionis trium personarum: de quarum unione, quasi per accidens hic disseritur, occasione argumèti sed contra. Præterea nomine unionum intelliguntur etiam simplices unitates; vt patet ex primo argumento, & eius responsione quicquid dicant Suar. & Vasq.

B Forma Textus.

PRAEMISSA distinctione responderetur quaestio duabus Conclusionibus.

Distinctio est: Unio Incarnationis potest dupliciter accipi: Uno modo ex parte eorum quæ coniunguntur: Alio modo ex parte eius in quo coniunguntur. Probatur hæc distinctio, quia unio importat coniunctionem aliquorum in aliquo uno; ergò potest dupliciter considerari &c.

PRIMA CONCL. Unio duarum naturarum in Christo ex parte eius, in quo coniungitur, habet præminentiam inter alias uniones. Probatur; quia unitas personæ diuine, in qua ununtur duæ naturæ, est maxima; ergò.

SECUNDA CONCL. Hæc unio non habet præminentiam ex parte eorum, quæ coniunguntur: Hæc conclusio nõ probatur in corpore, sed eius probatio desumi potest ex argumento sed contra & eius responsione.

C Expositio Textus.

MULTA sunt in textu non satis perspicua, quorum sensum & intelligentiam aperiet proxima controuersia. Hic tamen tria notanda sunt. Primum est: Secundam Concl. in corpore non probari, sed eius probationem & explanationem ex responsionibus ad primum, secundum & tertium argumentum facile colligi, vt annotauit Porreeta. Secundum est: non esse verum, quòd hic ait Suarez in Commentario, unionem scilicet esse quasi viam quandam tendentem ad unitatem seu modum, ex qua aliqua unitas resultat: quia unio vt ait S. D. in textu, importat coniunctionem aliquorum in aliquo uno: hanc verò significat unio non in fieri, sed in facto esse; vt ait S. D. in a. precedenti, non est ergò via ad unitatem; sed est ipsamet unitas personæ coniungentis naturas, vel unitas naturarum, quatenus unitæ sunt in persona: Videtur autem Suar. hic nomine unionis intelligere modum illu supra confutatum, quem in humanitate confingit. Tertium est: Suar. immeritò rejicere responsionem ad primum argumentum, vt insufficientem; quoniam eam ad præmissam in corpore distinctionem nõ retulit, vt debuerat: sermo enim est de unitate personæ, vt coniungentis naturas: hæc enim sic sumpta maior est unitate numerali: est enim unitas increata per se subsistens, non recepta in aliquo, &c. nec habet rationem partis, nec in aliquo recipitur per participationem, sicut unitas numeralis. Quid autem dicendum sit de composito resultante ex tali unione, dicemus in sequenti Contr. ceterorum autem argumentorum responsiones satis benè declarat dictus

expolitor.

CON

CONTROVERSIAM VNICA.

De veritate primæ Cōclusionis. An scilicet vnio duarum naturarum in Christo sit omnium vnionum maximā?

Sensum quesitū, & sententię Doctorum.

DVPLEX est proposita Contro. difficultas: potest enim vnio duarum in Christo naturarum ceteris vnionibus dupliciter comparari: Vno modo secundum rationem vnionis: alio modo secundum rationem doni; ita vt vnionis excellentia quatenus donum est, cum ceterorum gratiæ donorum dignitatibus conferatur. Et quamuis quæstionē hanc in vtroq; sensu versent Suar. *disp. 9. Vasq. disp. 20. & Rada Contr. 3. a. 5.* Nos tamē hic de priori tantum eius sensu differemus; de quo solo quæstionem mouet, & secundum illum formaliter eam definit Angelicus Doctor. De secunda namque parte satis, superque differunt expostores nominati.

Sūt autem de priori Cōtrouersia parte quinque Doctorum opiniones. Prima est Dur. quam refert Capr. *in tertio dist. 5. quæst. 1. & Cai. hic, &* alij expostores dicentes, vnionem hanc esse maximā, non in ratione vnionis; sed in ratione dignitatis.

Secunda sententia est Paludani *in 3. dist. 5. qu. 3. art. 3.* quem refert Vasq. dicentem vnionem hanc esse vnionum omnium simpliciter maximā, non solum ratione eius, in quo facta est vnio, sed etiam ratione extremorum. Quam sententiam Vasq. immeritō tribuit Cai. & alijs recētoribus discipulis D. Th. Sed hic expostor studio cōtradicens fingit sibi nonnunquam aduersarios quos feriat.

Tertia sententia est Suar. *in allegata disput. 9. sect. 1.* qui dicit tria. Primum; hic fieri comparationem inter proprias vniones seu compositiones ex rebus realiter distinctis. Secundum est: hanc vnionem esse maximā in ratione vnionis, quia compositum illud quod resultat ex hac vnione, est magis vnum quā omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis. Tertium est: vnionē duarum naturarum in persona verbi esse maximā omnium inter omnes vniones duarum in rerum in aliquo tertio.

Quarta sententia est Vasq. qui tria dicit. Primum: se non posse non mirari Cai. & alios recētores Thomistas in exponenda sententiā D. Th. tam facile fuisse allucinatos. Secundum est: in hoc articulo & Contro. comparari vnionem hanc cum illis tantum vnionibus, quæ per vnionem multorum fiunt; non autem cum vnitate rerū simplicium. Tertium est: D. Tho. per id in quo fit vnio, nō intelligere totam personā Christi, prout est cōposita; sed personalitatem verbi, quæ est communis nexus & vinculum duarum naturarum. Et in hoc sensu vnionem duarū naturarum in Christo esse omnium vnionum maximā.

Vltima sententia est S. Th. quæ duabus comprehenditur cōclusionibus in textu positis, quarum sensum explicat subtiliter ac eruditē Cai. quam expostionem sequūtur omnes alij recētores interpretes S. Th. Nec Vasq. aliam affert intelligentiam, tamen rudioribus suam offerat interpretationem veluti singularem. Ex antiquioribus autem sententiā hanc sequuti sunt D. Bona. *in 3. dist. 5. a. vlt. q. vlt.* Alensis *3. p. q. 7. membro 2. a. 3.* Scotus *in 4. dist. 49. q. 2. littera E.* Noc oppositum asserit *in 2. seni. dist. 2. q. 1. vt et-*

A iam aduertit Vasq. *in allegata disp. 20. cap. 1.* Mētem Scoti sex cōclusionibus explicat Rada *in supra notata Contro. ex quibus quinta veritatem exprimit primæ Cōclusionis D. Thom.* quāquam hic author in modo procedendi sententiā D. Tho. proponat, vt sui Scoti doctrinæ cōtrariam, quod esse falsum cōclusiones indicant ab ipso Rada proposita; eas enim omnes admittit discipuli. D. Th.

DVÆ sunt huius Cōtrou. partes præcipuæ. Prior est de sensu & veritate Cōclusionum S. Th. Posterior est de dicto Suar. asserentis compositum illud, quod resultat ex vnione duarum naturarū in vna verbi persona, esse magis vnum, quā omne aliud compositum ex rebus realiter distinctis, & vnitate suppositi, quæ resultat ex compositione naturæ cum subsistentia, ex suo genere maiorem esse, quā vnitas quæ resultat ex materia & forma.

ET PRIOREM quidem difficultatem sufficienter explicat ac diluit Cai. dicens, cōiunctionem omnem aliquorum in aliquo vno, ac proinde etiam vnionem duarum naturarum in vna Christi persona hic à D. Th. distingui, eo quod significet cōiunctionem duorum extremorum in aliquo vno, & idē dupliciter accipi posse: Vno modo ex parte extremorum, non omnino absolute sumptorum; sed quatenus inter se iunguntur aliquo modo, siue vt actus & potentia, siue vt agens & instrumentum, siue quavis alia ratione. Alio modo ex parte eius in quo, veluti in tertio quasi amborum nexu & vinculo coniunguntur. Exempli gratia: cōiunctio siue vnio animæ & corporis, in homine dupliciter sumi potest: Vno modo ex parte animæ & corporis: nō quatenus vtrumque sumitur absolute & secundum se, sed prout inter se coniunguntur, vt actus substantialis & potētia: alio modo ex parte eius in quo vniūtur, quatenus vniūtur in vna Socratis humanitate vel persona. Cum itaque distinguit S. D. vnionem Incarnationis dicēs, eam dupliciter accipi posse; vno modo ex parte eorum quæ cōiunguntur: alio modo ex parte eius in quo iunguntur: non accipit S. D. ea quæ vniūtur secundum se; sed prout vniūtur inter se; neque id in quo vniūtur accipit absolute; sed quatenus illa duo extrema cōiungit veluti eorum nexu. Vniūtur autem inter se diuinitas & humanitas in Christo, tāquam causa & instrumentum causæ, vt ait Cai. quæ vnio nō est maximā; quia vt sic substantialis nō est: Dixi verō vt sic: Quoniam quatenus duæ Christi naturæ in tertio, scilicet in persona verbi cōiunguntur, vnionem habent substantialem; & sic humanitas quæ comparata diuinitati præcisē rationem habet instrumenti simpliciter dicti, ex vnione cum diuinitate in vna persona iam non habet instrumenti rationē, sed est instrumentum cōiunctum in vno, scilicet esse substantiali personali.

Ad cuius ampliores euidentiam considerandum est primum in instrumento cōiuncto duo esse: alterum quod sit instrumentum, & alterum quod sit cōiunctum: ad constituendum instrumentum vt sic, duo concurrunt, vnum vt ratio, alterum vt conditio: ratio instrumenti constitutiva est influxus virtualis causæ principalis in ipsum si sermo sit de eo quod est actualiter instrumentum; vel est proxima dispositio aut deputatio ad recipiendum agentis influxum, si sermo sit de eo quod quasi habitualiter vel quasi in actu primo est instrumentum: conditio verō sine qua instrumentum actu non esset aut actu esse non posset, est cōiunctio eius cum causa prin-

Resolutio. Explicatur accipit sensum duarū cōclusionū nō D. Tho. & defenditur inter interpretes cetera. nō cōtrarietates.

principali, vt patet in instrumentis artis, quae nunquam artificis operantis influxum actu recipiunt, atque adeo non essent actu instrumenta, nisi per contractum artificis iungerentur; quae tamen coniunctio non est ratio formalis instrumenti constitutiua, vt per se notum est sed mera conditio. Quod autem instrumentum sit & dici valeat proprie ac vere coniunctum, id habet ex vnitate personali cum ipso agente principali, tanquam ex ratione constitutiua. Nam exempli gratia brachium habet, vt sit & proprie dicatur instrumentum animae coniunctum ex vnitate personali, quam habet cum anima: quia scilicet in eadem numero persona substantialiter copulantur brachium & anima. Sic igitur humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitatis; sed quod sit actu instrumentum habet ex actuali influxu diuinitatis, veluti ex ratione formalis constituendi, quod verò sit instrumentum quasi habitualiter vel quasi in actu primo, id habet ex deputatione diuinæ voluntatis, quae statuit vti humanitate vt instrumentum ad operationes mirificas & supernaturales; Vnitas verò personalis ad humanitatem vt instrumentum constituendam necessaria solum est, vt mera conditio; non enim deputasset Deus illam humanitatem vt esset instrumentum diuinitatis, nec in eam influeret ad efficiendum per eam tot operationes & effectus supernaturales, nisi personaliter esset diuinitati coniuncta; quamuis id efficere potuisset etiam si coniuncta non esset in vnitate personae. Quod demum sit instrumentum coniunctum, habet vt ex ratione constituendi ex hoc, quod diuinitati coniungitur in vnitate personae: ratio enim coniuncti addita instrumenti dicit rationem substantialiter & personaliter vniti. Cum itaq; docet Cai. duas in Christo naturas vniri inter se sicut causam, & instrumentum causae loquitur de instrumento simpliciter siue praecise; non autem de instrumento coniuncto vt sic: hoc enim modo non vnitur humanitas diuinitati, nisi quatenus eum ea conuenit in vnitate personali; qui modus non pertinet ad considerationem seu acceptionem vnionis ex parte naturarum inter se praecise, sed ad acceptionem vnionis ex parte termini coniungentis; sic enim non inter se tantum sed etiam in tertio coniunguntur, scilicet in persona.

Secundo notandum est, in hac vnione humanitatem posse diuinitati tripliciter comparari: *Vno modo* quatenus sunt duae naturae siue formae habentes rationem quo; & ita considerantur in ratione entis. Et hoc modo maximè distant, nec inter eas vt sic potest esse aliqua vnio substantialis; quia non possunt vniri in vna natura neque in persona; quia neutra considerata vt quo habet rationem personae; neque in existentia, quia illa nequit communicari sine personalitate. *Secundo* possunt comparari quatenus humanitas quaedam natura est siue forma, & Deitas natura quaedam est cui per se primò conuenit subsistentia essentialis, quam tamen non communicat humanitati, & ita vniantur vt causa principalis & instrumentalis, vt ante diximus. *Tertio* possunt comparari quatenus humanitas propria caret subsistentia; diuinitas autem subsistentiam habet Verbi personalem & eam communicat humanitati, quae comparatio eadem est cum illa, quae comparatur humanitas cum persona Verbi, quae constituitur ex Deitate & subsistentia personali. Et hoc modo comparatur; quatenus in vno termino & quasi medio vnite conueniunt, vel potius in ratione terminabilis & terminatis, & ita nõ ma-

ximè distat sed summè conueniunt; ita vt eorum vnio sit maxima; quia persona Verbi est maximè vna; ex qua etiã vnitate fit, vt id quod ex tali vnione resultat, sit maximè vnũ, vt statim dicemus.

Ex his sequitur primò vnionem accidentium Christi in vna Verbi persona nõ esse maximam; primò quia nõ vnitur substantialiter sed accidentaliter, & ideo nõ fit ex eis & diuina persona vnum per se, quod est magis vnum quam vnum per accidens. *Secundò*; quia nõ vnitur personae immediate sed mediãte humana natura, in qua recipiuntur vt in subiecto, in quo propriam habet existentiam, aliam ab existentia substantiali personae; nec vere subsistit personali Verbi subsistentia; sed inexistit. Quae omnia manifestè sequuntur ex primò: ex hoc videlicet quòd accidentia nõ vnuntur substantialiter, sed accidentaliter: & ideo solum hoc Caiet. expressit.

Secundò sequitur Val. & Vasq. & alios recedentes nõ attigisse metem & subtilitatem Cai. dicentis, duas in Christo naturas inter se nõ vniri, nisi sicut causam & instrumentum causae; quo fit vt ridiculae sint eorum impugnationes.

POSTERIOR difficultas est de composito ex vnione duarum naturarum in vna Verbi persona resultat, an scilicet sit maximè vnum; puta an Christus sit maximè vnus? Cui difficultati nõ potest vnã simplici responsione satisfieri; sed distinctio- ne vt edum est: potest enim compositum hoc substantialiter tripliciter considerari: *Primò* ex parte naturarum ex quibus componitur; quatenus inter se coniunguntur. *Secundò* ex parte personae in qua coniunguntur: quatenus scilicet in ea coniunguntur. *Tertio* absolute id est absque praedicta distinctione: & de duobus quidem modis sumendi compositum patet quid dicendum sit ex distinctione & conclusionibus D. Th. superius explicatis. De tertio verò modo respondet Suar. affirmatiue; Vasq. autem negatiue; melius tamè videtur dicendum, aliam esse quaestionem de composito substantiali, an sit maximè vnum; & aliam de eius vnione vel vnitate. Nam si sermo sit de ipso composito substantiali, quod ex duabus naturis in vna Verbi persona conueniendis resultat, non videtur posse absque distinctione responderi; nam duae sunt in hoc composito substantiali compositiones: altera ex ijs scilicet ex duabus naturis; altera cum ijs scilicet diuini suppositi cum humanitate; siue ex supposito & humana natura. Et ratione quidem primae compositionis non habet maximam vnitatem; quia naturae inter se non vniantur, nisi vt causa & instrumentum causae: ratione verò secundae rectè docet hic Cai. *circa finem solutionis secundi dubij* compositum habere maximam vnitatem. Sed quia secunda compositio principalis est & primam quodammodo claudit, & illi tribuit vnitatem: dicitur enim Christi persona composita non solum ex natura & supposito; sed etiam ex duabus naturis: Quae loquendi forma significatur vnitas diuinæ personae, (quae naturalis est Deitati) vt communicata etiam humanitati; ita vt ea, veluti communi nexu ac vinculo duae iungantur naturae: Et non significatur eas esse tantum coniunctas inter se, vt causa & instrumentum, quomodo non habent maximam vnitatem. Ideò simpliciter posset admitti compositum hoc substantiale habere maximam vnitatem; quamuis tutior ac melior sit prior dicendi modus; quia compositum vt sic, componentium diuersitatem & distinctionem includit. Si verò sermo sit de vnione siue vnitate dicti compositi substantialis absolute, dicendum est eam esse maximam; quia

Coro. facti.

Compositum resultat ex vnione duarum naturarum in vna Verbi persona, scilicet Christi absolute loquendo esse maximè vnum.

*E*ntitas

vnitas huius cōpositi est vnitas personalis; qua-
tenus in ea sunt indiuisæ duæ naturæ, humana
scilicet & diuina; hæc autem vnitas est omnium
maxima, vt ait S. D. *in textu, & in 3. dist. 5. q. 1.*
n. 1. quæstion. 2. Vbi etiam addit considerationē
vnionis secundum se; quia est secundum id quod
vnum est: alterum autem eius considerationem
scilicet quantum ad ea quæ vniuntur, esse consi-
derationem vnionis non secundum quod vno;
& ideo dicendum esse vnionem hanc esse maxi-
mam simpliciter; quamuis non sit maxima secū-
dum quid; igitur absolute dicendum est vnionē
siue vnitatem huius cōpositi maximam esse.
Cetera ad hanc partem pertinentia notat Suar.
disp. 9. sect. 7. quæ lege si placet.

*Cōclusiones,
deductæ,
probate.*

PRIMA CONCL. *Vnio duarum naturarum in
Christo maxima est omnium vnionum & vnitatum
creatarum, non solum earum, quæ sunt ex rebus reā-
liter distinctis; sed etiam earum, quæ sunt ita simplices,
vt plura non habeant intrinsecè componentia. Prior
huius conclusionis pars patet ex dictis, & probat
eam recentiores supra notati, præsertim
verò Suar. qui probationes collegit ex Cai. altera
verò pars habetur ex responsione ad primum
argumentum. Vbi vnionem hanc affirmant esse
maiorē vnitate numerali Primò: quoniam vn-
nitas numeralis est in alio recepta per participa-
tionem; & ideo cum alio componit, scilicet cum
eo in quo recipitur, ac proinde non est omnino
simplex, vt patet ex doctrina eiusdem S. D. *in
1. p. q. 3. a. 8.* Secundò: quia non est in se comple-
ta habens in se quidquid pertinet ad rationem
vnitatis; ex quo sequitur vt sit pars numeri, &
consequenter non sit omnino simplex; quia li-
cèt non esset cōposita, est tamen ingrediens
compositionē. Vnitas autem diuinæ personæ est
per se subsistens & in se completa, habens quid-
quid pertinet ad rationem vnitatis: quod autem
vnitas numeralis habeat partes quantitatuas,
hoc merè per accidens est respectu eius, quate-
nus vnitas est numeralis; si namque daretur mi-
nima pars quanti, quæ esset omnino indiuisibi-
lis in alias partes, (vt placuit Scoto) illa verè
ac propriè; immò quodammodo verius esset
vnitas, quàm ea quæ partes habet ex ea diui-
sibiles.*

SECUNDA CONCL. *Probabiliter dici potest,
(absolute loquendo) cōpositum illud substantiale,
quod resultat ex duabus naturis in vna Christi persona
coniunctis, non esse maximè vnum.* Probatur; quia
cōpositum illud includit distinctas naturas,
diuinam scilicet & humanam. Et hæc etiam sci-
licet humana multipliciter est cōposita; igitur
maior esse videtur vnitas cōpositi substantia-
lis ex materia & forma, quàm huius cōpositi
ex duabus naturis.

TERTIA CONCL. *Probabilius est cōpositum
hoc substantiale esse maximè vnum.* Hæc patet ex
dictis. Et Probatur etiam: quoniam eo maior est
vno, quò terminus ex ea resultans est magis v-
nus; at terminus resultans ex hac vnione est ma-
gis vnus, quàm alius quicumque terminus ex alia
vnione creata resultans; ergò. Maior probatur;
quia perfectio maior aut minor coniunctionis
in ratione vnionis sumitur ex maiori vel minori
vnitate termini. Minor verò probatur; quia cō-
positum ex alijs vnionibus resultans, vel est ac-
cidentalē vel est substantiale essentialē, vel per-
sonale, vel integrale: sed huius vnionis termi-
nus est magis vnus quàm prædicti. Nam termi-
nus huius vnionis est vnum substantiale & per
se, quod est magis vnum quàm cōpositum ac-
cidentalē, quod est vnum per accidens: Simili-

ter simplicitas componentis ceteris paribus con-
fert ad maiorē vnitatem cōpositi: constat
autem Verbi personam, quæ terminat humani-
tatem, esse longè simpliciorē, quàm forma vel
personalitas creata vel partes integrales totum
aliquod componentes; igitur persona cōposita
ex vnione illa resultans est magis vna quàm
essentia, quæ resultat ex materia & forma; &
quàm suppositum creatum, quod resultat ex na-
tura & suppositualitate creata; & quàm totum in-
tegrale, quod resultat ex partibus integralibus.
Non habet tamen persona Christi cōposita
tantam vnitatem, quantum habet persona Ver-
bi secundum se, cui nulla conuenit cōpositio.
Quod ergò S. D. intendit, est ex vnitate, & sim-
plicitate personæ diuinæ, in qua vniuntur di-
uersæ naturæ, deriuari ad eas multò maio-
rem vnitatem, quàm sit alia quilibet vnitas
creata.

QUARTA CONCL. *Vnitas huius cōpositi sub-
stantialis est simpliciter omnium maxima.* Hęc patet
ex dictis.

CONTRA primam concl. quo ad primam eius
partem sunt argumenta, quæ referunt & soluit
Capr. Cai. Med. & alij recentiores *super hoc arti-
culo*; quæ verò contra secundam partem produ-
ci possent, ex eius probatione supra posita facile
soluentur.

CONTRA secundam concl. produci possent
argumenta Suar. *disp. 9. sect. 1.* quæ tamen non
probant cōpositum illud substantiale esse ma-
ximè vnum simpliciter; sed tantum ratione vn-
ionis naturarum in vna personæ cōpositum
autem illud substantiale, quod est Deus homo,
non dicit hanc tantum vnionem, sed etiam illā
quæ est duarum naturarum inter se, & eam quæ
est animæ & corporis, & eam quam habent cor-
poris partes, quæ singulæ nō sunt vniones maxi-
mæ & simul sumptæ. sic vnum cōpositum cō-
stituunt, vt earum considerata pluralitate cum
tanta partium differentia, aut rerum componē-
tium diuersitate cōpositum per eas constitutū
neq; sit neq; dici possit absolute maximè vnum.

CONTRA tertiam concl. argum. Vsq. *Com-
positio Christi est ex natura humana & subsiste-
tia diuina; quæ duo solum supernaturaliter con-
iungi possunt; ergò non est inter hæc extrema
tanta aptitudo ad vnionem, quanta inter mate-
riam & formam, quæ suapte natura & naturali
inclinatione inter se aptantur. Resp.* nullam esse
consequentiam; quia quantitas vnionis non at-
tenditur ex aptitudine seu inclinatione rerum
vnibilium ad vnionē; nam alioquin diuinæ per-
sonæ nunquam vniri potuisset humana natura;
cum nullam habeat inclinationem ad diuinæ per-
sonæ subsistentiam; sed satis est ex parte huma-
næ naturæ potentia obedientialis; ex parte verò
diuinæ subsistentiæ sufficientia perfectionis in-
finitæ, quæ supplere possit excellenter manūs
propriè subsistentiæ in humana natura. Quantitas
igitur vnionis consideranda est ex indiuisibi-
litate ac simplicitate eius, in quo vniuntur ex-
trema, quatenus in eo vniuntur, si sermo sit de
vnione duorum in tertio; aut ex indiuisibilitatē
illius extremi, ad cuius vnitatem trahitur alte-
rum, si sermo sit de vnione vnus cum altero: si-
cut in proposito de vnione naturæ humanæ cum
persona diuina: terminus enim vnionis formalis
totam suam vnitatem & indiuisibilitatem com-
municat ijs, quæ in eo aut cum eo vniuntur, qua-
tenus in eo aut cum eo vniuntur; licet absolute &
realiter suā retineant inter se & ab ipso termino
vniente distinctionem.